

SLUB

389.  
Oeon ~~108~~

DE

AGRICULTURAE NONNULLIS  
CAPITIBUS NUNC GUM MAXIME  
CONSIDERANDIS

COMMENTATIONE PRAEMISSA

OBSERVANTISSIME INVITAT

AD AUDIENDAM ORATIONEM ADITIALEM

Q U A M

AUCTORITATE AMPLISSIONI PHILOSOPHORUM

E T

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS PERMISSU

IN AUDITORIO JURIDICO

DIE XXVII. M. MART. A.O. MDCCCXVI.



H A B E B I T



M. IOANNES FRIDERICUS POHL

OECONOMIAE ET TECHNOLOGIAE PROFESSOR ORDIN. DESIGN. SOCIETATUM OECONOMICARUM  
LIPSIENSIS, MORAVIENSIS SILESIACAE, MEGAPOLITANAET THURINGICAE, NEC NON  
NATURAECRUTATORUM HALENSIS, MINERALOGICAE JENENSIS ET BOTANICAE  
ALTENBURGENSIS SOCIUS.

L I P S I A E

IMPRESSIT ADOLPHUS DEUTRICH.



DE  
AGRICULTURAE NONNULLIS NUNC CUM MAXIME  
CONSIDERANDIS CAPITIBUS.

---

Omnis disciplinae exiguis ortae initiis, quanto latius amplificarentur, plurimumque hominum studiis sensim sensimque colerentur, tanto plurimum accessione partium auctae vel per se satis gravitatis habere coepisse mihi videntur. Documento est prae ceteris agricultura, quae, si originem spectes, antiquissima est, si ambitum, per totum fere terrarum orbem propter quaestus necessitatem pervulgata, si denique scientiam, qualis ea fuerit diversis temporibus et regionibus, conditione usa est diversissima. Cujus quidem diversitatis caussae non tam in terrarum situ, quam in diversis earundem institutis quaerendae sunt. Inprimis enim floruit agricultura antiquitus in Aegypto, et in China eadem hodie magni habetur. Sed in Romano imperio iniquam sortem experta est, dum Carolus M. istam feliciorem reddere conaretur, qui dolendum est, quod non tales successores habuerit, qui mentem ipsius intelligerent et consilia persequerentur. In Germania autem superiorum temporum perversitate factum est, ut ante medium seculum XVIII., qui hunc quaestum exercebant, in magno adhuc essent contemtu. Hinc illae catenae, quibus etiam nunc quaestus ille multis modis constrictus tenetur. Hinc illae lacrymae! Exinde vero insigni quorundam agricolarum industria, exemplo et praceptis diligentius tractari disciplina copta est, et magis excoli, adhibitis in usum historia naturali, botanica, chemia,

physica et aliis pluribus mathematics doctrinis. Exinde, quae per superstitionem quandam invaluerint, opiniones contemni et quae cunque accepta essent a majoribus, in dubitationem et sub sanae mentis judicium vocari coepit. Novissimis temporibus instrumenta emenda et inventae permulta, eaeque utilissimae ad usum, machinae. Porro eidem quaestui cum aliis modis, tum in primis jura defendendo multi patrocinati sunt. Denique Ill. Thaerius quicquid antehac recte observatum esset, via et ratione tradere coepit et in disciplinae formam redigere.

Ex quo agricultura et quos quaestus hucusque progressus fecerit, et qualis disciplina nunc sit, satis intelligitur. Mirum est enim, quod non pari gressu quaestus profecerit, sed, cur post disciplinam longe adhuc relictus sit, ob eas, quas modo dixi, caussas per quam explicabile. Nam oppido paucis hucusque contigit esse tam felicibus, ut, quae hoc in genere optima esse intellexissent, meliore rerum publicarum institutione adjuti facultate possent consequi. Etenim minus rerum earum inscitia, quam iniquitas civilium institutorum atque perversitas, quod non satis ubique oeconomia proficere potuerit, culpam sustinere mihi videtur. Sed agriculturam, certissimum reipublicae fundamentum, postquam ipsi quoque mercaturae praeferendam esse intellectum est, quibusdam in civitatibus eam, quamquam non satis, et non nisi sic, ut non multum inde sperandum sit, adjuvant. Quodsi verum est, in unaquaque civitate agriculturae quaestum omnium maxime necessarium esse et hanc ipsam ob caussam patere latissime, impedimenta removendi summum officium est et sanctissimum. Quibus remotis manifeste futurum est, ut non modo, quae ad hoc usque tempus inventa utiliter recteque observata sunt, in usum facillime convertantur omnia, sed etiam interna impedimenta, quae a segnitie rusticorum et inertia profiscuntur, maximam partem tollantur. Quocirca consultissimum esse mihi videtur, si tum disciplinae auxiliares ad usum oeconomiae magis accommodentur, tum hic et reliqui quaestus vinculis, quae nunc nulla sunt aut etiam noxia, conjungantur mutuis.

Sed antequam hac in re ulterius progrediamur, opus est, ut, quae in universum hucusque neglecta sint, deinceps videamus; unde, quae ad juvandum quaestum oeconomiae augendamque scientiam conferant, postea facilius demonstrare posse mihi videor. *Impedimenta* igitur duplicis sunt generis, *tum* quae *ad exercendum quaestum*, *tum* quae *ad amplificandum doctrinae ambitum pertinent*. Quae si tolluntur, non dubium est, quin agricultura brevi multo melior futura sit, et ad utilitatem fructuosior.

Ac primo quidem reputantibus nobis, fundorum in quaque civitate partem esse maximam et nihilominus iniquissimam eorundem conditionem, et eam usu sancitam et legibus, non mirum potest videri, quod et apud reliquos cives ipsi quoque rustici exiguo sint in honore, et metus sit, ne, si minus excolant animum, damnum afferant civitatibus. Neque tamen non est perspicuum, rusticos, quod cum reliquis hominibus nulla, ut nunc sunt tempora, consuetudine fruantur, optima illa cultrice animorum et magistra, sua quoque in re lentius proficere. Sed quid tandem est, quod, qui ex aliis quaestibus vitam sustentant, rusticis anteponantur, num quod in oppidis vivunt, an' quod melius morati sint, aut quod plus afferant civitatibus utilitatis?

Concessa rusticis majori libertate sine dubio quaestus prudentius exercebitur. Operarum enim viribus rectius collocatis messes largiores, melior res pecuaria, cultioresque futurae singulae quaestus partes, pomorum, herbarum officinalium mercatoriarumque, v. c. Nicotianae, lini, cannabis, humuli, resedae, isatis, sinapis, plantatio. Haud raro enim accidit, ut rusticorum fundi aliorum agricolarum, praesertim conductorum, majoribus longe sint praestantiores. Ex quo patet, non prius, quam si rusticorum fundi servitute omnis generis liberentur, ab hoc longe uberrimo fonte fructum ad rem publicam satis magnum esse redundaturum.

Deinde hoc in primis urgendum incommodeum est, quod a vecigalium et, belli tempore, a commeatu imperatorum inaequal dispensatione proficiscitur. Sic enim fit, ut tot agricultae in bello

omnium rerum suarum jacturam faciant. Omnino autem rustici plura, quam ceteri cives, nec pro rata parte tributa persolvunt. Haud alia igitur inter tributa rusticorum et civium intercedit ratio, quam, ut hoc exemplo utar, si quis rusticus, qui trecenta jugera, natura sua fecundissima, possidet, ne tantum quidem vectigalium pendere debeat, quantum, qui vix decem sterilia. Mercatores enimvero tributa pendunt ex mercium pondere aut pretio aestimata, et, qui alias quaestus exercent, quanto plus hinc lucri faciunt, tanto plura persolvunt vectigalia. Quidni igitur rustici eodem modo i. e. pro agrorum, quos possident, magnitudine (neque enim hac in causa diversa eorum natura in considerationem vocanda est,) tributa conferre jubentur?

Porro aliud impedimentum est in bonorum communitate positum. Olim enim, cum, quo tutius homines ruri viverent, non solum vicorum, aedificia, sed etiam ipsos vicos angustiori ordine condenserent, illud peraeque institutum est, ut eorum incolae agros et propinquos et longinquos et remotissimos inter se partirentur. Sed hodie utrumque magnum profecto incommodum nascitur. Ut ne commorem quidem, tam anguste constructa singularum villarum aedificia cohortalia, nec ab incendio satis tuta esse, nec ad exercendum quaestum rusticum satis commoda; aedium et agrorum longinquitas agriculturae progressus, nullo negante tantum impedit, ut mirum sit, cur in civitatibus, in quibus non amplius opus est, ut se adversus hostes rusticci defendant, et ne concessum quidem, hoc malum nondum sublatum sit omnibus. Mirum est etiam, quod singulorum rusticorum studia communi agrorum compascuorum possessione atque totius quaestus profectus rotatione, quam dicunt, non nisi paucis in locis utili, etiam nunc tardentur. Quandoquidem enim secundum istam rotationem frumenta cujusque generis in vicinis agris non pro singulorum arbitrio, sed ex communi omnium consensu per singula quaeque triennia seruntur; nec pabulorum sationem interponere licet, neque omnino eo modo agros colere, quocum cuique maximum emolumentum conjunctum esse videatur.

Ac quoniam concessos aliis agros depascendi jure, ante certum quoddam anni tempus eosdem novales proscindere non licet, triplex hoc inde impedimentum prodit, quod opus primum non semper coelo suto, deinde quod cum aliis negotiis saepe una fit, non nisi festinanter fieri potest, denique ager ipse, qui ista requiete admodum obdurescit, et difficilius novatur et sensim sensimque magis fit infecundus. Augetur vero illud impedimentum, quod ex lege tertio quoque anno sementis fieri debet intermissio. Unde sequitur, agros triginta, ista servitute impeditos, intra triennium, non plus, quam vinginti ab eadem liberos, emolumenti afferre. Quare, qui tot ejusmodi agros possident, dolendum est, quod tantum vectigalium pendere debent, quantum, qui totidem exemptos ab hoc onere, eosque igitur longe fructusiores. —

Praeterea commemorandum est huic affine incommodum, quod in jure depascendorum pratorum cernitur. Nam quod hoc modo prima germina, quae sunt, nullo dubitante, optima, partim depascuntur, partim conteruntur, solum autem conculcando paludosum fit; in pejore humo sequiora germina relinquuntur, lichenes, felices et multa musci genera invalescunt, et in universum foenisicii fructus valde minuuntur. Huc accedit, quod nec stercorari justo tempore, neque irrigari, neque, ut nunc ajunt, multifariam innovari prata debent. Porro tametsi bina quotannis foenisicia fieri possint, singula tantummodo in gratiam hujus privilegii permittuntur. Quo privilegio sublato prata sine dubio meliora futura, pabulum, pecorum, stercoris, frumentorum carnium, alimentorum copiam, quaestus faciendi cupiditatem bonorum et mercedis summam, ne multa, opes publicas mirum quantum auctura essent. Quod quam fit optabile, vel hinc potest intelligi, quod in nonnullis regionibus sola prata quae pro iniqua conditione necessariam multorum fundorum ruinam prohibent, magni pretii, et habentur, et penduntur.

In privilegiis, quae hunc quaestum impediunt, decumarum quoque mentio facienda est, quae lucrum saepe detractis impensis superant, et stramina, stercorandi materiam, demunt.

Angaria vero, cum neque usui saepe dominis, et agricolis operam facientibus detrimento, multis autem in locis jam abrogata sit, non est, cur prolixius tractetur.

Praeter ea vero instituta, quibus inter se invicem, quo minus quaestum recte exerceant, rustici impediuntur, interna inquam, externa quoque impedimenta sunt, quae in abusu virium agrestium vel in eo cernuntur, ut ab opere praeter necessitatem vel, quam est necesse, diutius certe homines rustici avocentur. Cujus rei caussa potissimum in rerum rusticarum contemtu quaerenda esse mihi videtur. Unde exempli caussa fit, ut toties jumenta et tam diu ex publicanorum aliorumque hujus farinae hominum arbitrio morari cogantur et sub dio interdum ultra justum tempus esurire. Increibile est autem dictu, quot hinc saepe damna nascantur. Fit enim fere, ut, amisso in tali caussa propter malam tempestatem equo, plerique rustici, quo damnum acceptum resarciant, vel omnino non, vel non statim quidem habeant. Quod si est prorsus irreparabile, fundus ruinam dicit; sin ad tempus tantum modo, tamen „fugit irrevocabile tempus.“ Quae et ipsa res quam damnosa sit oeconomiae maxime, nemo inficias ibit, qui diversis temporibus diversa negotia facienda, et certis quibusdam temporibus utendum esse reputaverit. Neque enim semper ex hominum voluntate, sed ex naturae ordine plerumque pendet agricolatio.

Hic etiam de perversa caussarum agrestium in foro dijudicandarum aliarumque rerum omnino cum magnis rituum ambagibus faciendarum consuetudine dicendi locus esse mihi videtur. Oportet enim meminisse, multas esse res in sola agricultura obvias, easdemque igitur solis cognitas agricolis. Quas qui nesciunt, plurimi judices nec tractare, nec judicare, nec decidere recte possunt. Judicium igitur ne sit arbitrarium, secundum leges, rebus agrestibus scite accommodatas, necessario faciendum est. In nulla autem civitate hucusque tantum profecit legislatio, quantum ipsa agricolatio. Plurimae enim leges non ad hodiernam, quae a prisca toto coelo differt, sed ad rem rusticam, qualis olim fuit, accommodate latae videntur.

Quas quidem leges cum in jure dicendo plerique judices presse se quantur, saepissime optimis agricolarum studiis ipsisque pullulantis adhuc agriculturae profectibus impedimento esse appareat.

In hac tanta paucitate legum et ambiguitate litigiosis hominibus litigandi ansa saepissime praebetur. Hinc de dividendis bonis communibus de constituendis agrorum terminis, de jure agros aut prata depascendi, de angaria, de decuma toties diutissime et tam dubio plerumque eventu certatum est.

Denique ultimum, quo nil potest esse fundis perniciosius, impedimentum inde oritur, quod, qui sequestres fundis praeficiunt, plerumque ejusmodi sunt homines, qui nec quaestum rusticum universe, nec fundi cujusque rationes cognoverunt, sed harum rerum prorsus ignari, judices forenses scilicet. Qui cum ipsi in hac tanta ignoratione versentur, vulgo desides ineptosque homines fundorum sequestres collocant. Quorum quidem administratione efficitur, ut fundi rapidam ruinam trahant, et brevi ne sumtibus quidem pares fructus proferant.

Quod genus administrationis etsi, quam damnosum pestiferumque sit, vel ex solo proverbio, quo sequestres evacuare nidos dicuntur, satis potest intelligi, eo magis mirabile est, tot in omnibus pene civitatibus fundos nunc cum maxime tali modo administrari, quo certius est, hos reipublicae nullam utilitatem afferre, neque igitur ullum in censum referri posse. Denique etiam monendum est, hoc genus desidiae, fraudibus furtisque committendis et in universum corrumpendis moribus inservire.

Venio nunc ad alterius generis impedimenta, quae, quominus rerum rusticarum scientia latius propagetur amplificeturque, prohibent, eaque et permulta et haud sane levi pondere. Quae cum enumerare omnia longum sit, eorum nonnulla duntaxat exempla commemorasse satis habebo.

Iterum illud, quod jam supra inter impedimenta recensui, et primo loco commune omnium fere doctorum rudiumque hominum, ex temeraria profectum opinione, malevolum de agricultura judicium

ponendum esse arbitror. Haec enim rerum rusticarum aspernatio so-  
cordiam fovet, sciendi cupiditatem apud inertes opprimit, et pluri-  
morum studia impedit. Mediocris admodum est eorum, qui ad tra-  
ctandam oeconomiam animum adjiciunt, puerilis institutio, quia vel  
patres, ut multa ejusmodi pueri mente comprehendant, non opus  
esse, sed usu **omnia** et manuum tactu addisci debere arbitrantur.  
Hinc non satis parati plerique et multi etiam, qui ad alia omnia  
inepti judicati sunt, ad hujus quaestus officinas accedunt; quorum  
utrique disciplinae profectibus verbo et exemplo incredibiliter offici-  
unt. Neque vero omnes, qui cum alias, tum etiam oeconomicas,  
quas vocant, scholas frequentant, aut qui per caussam discendarum  
rerum cameralium academicam civitatem adipiscuntur, vel commen-  
dare possunt disciplinam rusticam, vel tales sunt, quorum exem-  
pla, qui intuentur, reliqui imitanda esse facile censeant.

Deinde in ipso tirocinio juvenes saepe imperitis lucisque avidis  
hominibus traditi, nec, quali ingenio sint aut scientia instructi, quae-  
ritur, nec docentur, nec si praesertim divites sunt, ad labores adi-  
guntur, et pauperes nimium crebris admonitionibus defatigati dis-  
cendi studium deponunt. Quorum paucissimi postero tempore omissa  
compensant, quippe cum plerique, temeraria illa opinione imbuti,  
agricolis pauca cognoscenda esse opinentur.

Imo multi, qui, quod ipsi de re rustica, neque accuratius me-  
ditati sunt, neque aliorum praecepta audierunt, nolunt sibi a manu  
esse juvenes, quos si de humo aliisque hujus generis novissimis quae-  
stionibus audiunt dicere, aliena didicisse aut vaniloquos esse existi-  
ment. Alii vero metuentes, ne ad stipendium faciendum majori mer-  
cede conducendi sint, rerum suarum moderatores constituere dubi-  
tant. Easdem fere et id genus alias, de quibus supra dictum est,  
rationes secuti fundorum domini haud raro venatores, opiliones, ma-  
cellarios villarum administratores aut conductores esse malunt, quam  
viros agriculturae peritissimos.

Porro non hoc ejusmodi est, quo docti homines et mercatores  
gaudent, inter ipsos agricolas mutuum commercium. Optimi pleri-

que juvenes et peritissimi delitescunt, nec, qua fundorum dominis facile innotescant, nec qua de multorum vacuitate munerum certiores fieri queant, occasione utuntur. Quo fit, ut pauci talia munera ambient, iisque maximam partem tales, qui, quod ob imperitiam munere vacui ubique circumvagantur, undique omnibus de rebus famam accipiunt. Domini igitur fundorum et conductores optionem inter multos facere nequeunt, et, quos quaerunt, instructos idonea scientia juvenes rarissime inveniunt. Quam ob rem esti fundi administrandi rationem emendare velint, tamen rem per annos plures deinceps differunt, utpote cum, quem rebus suis praefecerunt, bene moratum, quanquam minus dexterum, nolint dimittere.

Deinde, quominus in disciplina proficiant, aliud accedit impedimentum, quod in dijudicandis agricolarum caussis, sive aliis, sive forensibus judices aestimatoresque non ad certas disciplinae leges et rationes omnia revocant et exigunt. Quo fit, ut non solum falso aestiment multa diuinantque, verum etiam vulgarem quandam et propter se contemnendam formulam in damnum agriculturae tueantur.

Tum vero etiam non sunt silentio praetereundi homines in re rustica hospites, qui huic rei, quod manum admovent, desunt potius, quam prosunt. Hi enim redemptores fundorum aut conductores non modo meliorum hominum locum occupant, sed etiam, perversam agricolandi rationem ineuntes, parum in eadem re versatis hominibus exemplo nocent. Eorundem in numerum referendi sunt, qui in consilium adhibentur principibus, summis saepe muneribus praefecti. Qui quidem cum, qua sunt munerum dignitate conspicui, suopte tantum arbitrio plurima institui jubent, nec, si qua perperam docti sunt ab imperitis quibusdam rusticis, prudentiores viros sibi patiuntur obloqui. Multi sunt etiam, qui in re rustica injuria sibi videntur sapere, tum societatis aliquo vinculo conjuncti, tum ea sunt audacia, ut quaestiones suas, quas, qui judicare sciunt, inanes esse facile intelligunt, publicis commentariis inseri jubeant.

Alii ejusmodi homines semidocti, libris in publicum separatim editis multorum lectorum judicia occupant. Cujusmodi scripta, do-

lendum sane est, quod et permulta sint, et, ne novitii, quibus in manus veniunt, recte proficiant, immane quantum prohibeant.

Postremo loco commemorandum est, quod, qui nullam agriculturae eognitionem habet, ne sentit quidem, quam sit grave incommodum, mensurarum dico insignem inter se in diversis regionibus discrepantiam. Qua quidem efficitur, ut, quae alii scriptis publicant, ea alii, quia diverso calculo utuntur, intelligere nequeant, vel si possint, difficultorem computandi laborem subterfugiant, nec in usum suum comprobata optimo eventu experimenta convertant. Intelligentissimis igitur tantum et studiosissimis agricolis quidem talia possunt, ceteris vero nulli esse usui propter tot et tanta mensurarum cuiusque generis discrimina.

Haec igitur omnia, quae hucusque sunt a nobis enarrata, agriculturae impedimenta, tametsi multis ad hoc usque tempus nodo Gordonio difficilius solvi, atque auferri posse visa sunt, non tamen, opinor, ita comparata sunt, ut nullo pacto removeri queant.

Quare, quibus fere modis facillime illa tolli posse videantur, deinceps paullo fusius exponere constitui. Operae enim pretium mihi videtur, investigare, quomodo ille quaestus, a quo ad rem publicam tantum utilitatis dimanet, levari maxime juvarique possit. Remotis autem, quibus laborat, difficultatibus quaestus maximopere juvabitur. Nihilo enim impeditus liberius exercebitur et, orta per libertatem agricolarum aemulatione, nullus dubito, quin sit indies perfectior futurus. Sed non modo propterea optandum est, ut rei publicae instituta, quae hunc quaestum aut ejus disciplinam ullo modo impediunt, omnia tollantur, verum etiam ad explenda, quanta nunc sunt, civitatum desideria nihil aptius potest esse aut consultius.

Primum omnium vincula, quibus rusticorum ordo constringitur, necessario sunt rumpenda. Et vero ipsum nomen, quod rusticis opprobrio nunc et ignominiae est, ut in posterum honori sit, curandum videtur. Ceteris civibus pares ponendi sunt, ut ne ob locum, quem nunc in civitate tenent, posthabiti, quando negotia facessant, toties impedianter, et ad ceterorum civium societatem admissi animi

excolendi occasionem nanciscantur. Sic enim fieri potest, ut, si ingenium magis exercuerint, quaestum quoque rectius prudentiusque facere instituant. Antequam huic officio principes satisfecerint, alias omnes, quibus agricolarum industriam excitent, vias frustra inibunt, frustra scholas condent, frustra praemia dispensabunt.

Deinde utique videndum est, ut, qui rusticum quaestum faciunt, aequalia onera sustineant. In quibus imponendis, ut jam supra dixi, incredibiliter est peccatum. Neque enim ad naturam agrorum, sed ad magnitudinem tantum vectigalia sunt exigenda. Ita quidem ditiorum non deterrentur, pauperiorum vero studia agricolarum, qui numero sunt plurimi, magis adjuvantur. Nam quo quis plus agrorum possidet, eo plus habet redditum, quo quis pauciores agros, eo minus redditum. Horum fructus sunt ad rem rusticam aut familiarem administrandam necessarii, illorum non item. Pauperiores igitur homines rustici cum nunc pro rata parte tantum tributorum persolvere debeant, quantum qui et magnos fundos et, quam in emendandis iisdem collocare possunt, pecuniam possident idoneam, justa ratione pluribus ad agros emendandos et ne mediocriter quidem administrandos praesidiis privantur, et quo ulterius illi proficiunt, eo longius hi post illos relinquuntur. Quod incommodum, ut quam facillime vitetur, opus est, ut magnitudo agrorum omnium a geometris certa quadam et ea quidem maxime solenni mensura exploretur, et quantus cuique fundus sit et quot ad eundem administrandum opes competant, diligenter notetur.

Tum bonorum v. c. agrorum et pratorum compascuorum tollenda est communitas. Qui quidem inter singulos divisi denum collentur libere, et, quot possunt, fructus proferent. Id quod hoc modo effici potest, ut legibus illa communium possessionum abrogatio non imperetur, sed singulis quibusque ex arbitrio agros pro diverso diversorum locorum situ inter se partiendi vel quocunque pacto commutandi redimendive venia detur.

Porro incommoda, quae ex agrorum confinium certo ordine considerendorum necessitate et ex privilegio rura depascendi, aliis con-

cesso, suboruntur, facillime ita mihi videntur auferri posse, ut non tam antiquentur instituta majorum et ipsa privilegia, quam, si suos cuique agros pro lubitu colere publice concessum fuerit, quanti quaeque privilegia facienda sint, ex certa loci temporisque norma accurate investigetur et ex quoctunque pacto alteris ab alteris restitui jubeantur.

Eodem modo, quae ex decumarum pensione prodeunt, impedimenta omnino removeri possunt, ut iis, quibus debentur, aestimato pretio earum loco nummi aut agri dentur.

Haud secus angaria ex fructu, quem praebeat dominis, aestimanda esse mihi videtur. Neque enim persuadere mihi possum, tot ejus tollendae pericula frustra facturos fuisse, si ejus fructum dominis, pretio satis exacto, vel certam ruris particulam pecuniaeque aliquam summam solvendo vel etiam aliis generis tributa quotannis pendendo compensari jussissent.

Denique illud incommodum, quod in immutabili agrorum et fundi conjunctione cernitur, facili negotio tolli potest. Necesse est autem, ut, qui hanc rem curare jubeantur, accedant satis instituti, quibus modis rerum mutationes facillime possint juvare. Hoc modo futurum esse arbitror, ut non solum propinqui et confines plerisque fundis agri dispensentur, sed etiam aliorum paupertati succuratur, aliis ditioribus agricolis fundi amplificandi detur occasio. Insuper divendorum agrorum venia data, in universa re publica non modo multa alia mala tolli, sed etiam multa utiliter institui posse mihi videntur, v. c. viae rectae et ad vehendum omnino commodiores, aquae ductus etc.

Hunc in modum igitur mutatis rei rusticae rationibus non est verendum, ne quae casu et, malis hominum artibus sese offerunt in multa quaestum commoda amplius impediант.

Sic revocatis ad geometricam mensuram agris nulla facile lis de eorum finibus suscipietur, aut brevi saltem dirimetur. Ac si homines rerum vere periti arbitris a consiliis esse debent, omnia recte dijudicabuntur. Fundi, quod non facile a semidoctis aut prorsus

imperiis agricolationis hominibus, et non nisi a gnaris sequestribus administrentur, paucissimi pessumibunt. Remotis autem omnino universis illis incommodis quaestus multiplici modo juvabitur.

Ac si verum est, quod nemo facile dubitat, in eorum numero hominum, qui, quam ut libere quaestum exercere possint, nimium arctis finibus coērceantur, non multos inveniri, qui, quae tractent, eorum rationem sibi sua sponte reddant, quaestusque scientiam comparare studeant; ut, si major rusticis libertas concessa fuerit, liberius agriculturae studia persequantur, et, quod nunc pauci faciunt, multi tum cum quaestu conjungant ejus scientiam, certo futurum esse mihi videtur. Ipsa vero agriculturae doctrina magis consummabitur latiusque propagabitur, si quaestus rectius liberiusque exerceri coepitus fuerit. Neque etiam tirones, mutata rerum conditione, periculum subituri, ne ab imperitis a recta via toties seducantur, sed multiplicem recte pleneque addiscendae artis occasionem habituri videntur.

Praeterea multa sunt, quae ad emendandam perficiendamque agriculturam adhiberi possint, praesidia, eaque duplicis maxime generis.

Alterius enim illa sunt, quae doctrinae idoneam occasionem praebent. Scholae enim oeconomiae paucae nunc et in ditiorum modo usum institutae plures et in pauperiorum quoque commodum aperienda sunt. Atque academica institutione plane non dubito, quin, si ad quaestum ejus scientiam necessario requiri neque ullo modo contemnendos doctos agricolos esse intellectum fuerit, plures sint usuri. Quod ut efficiatur, omnes omnino, qui ad tale munus publicum admitti velint, praeterquam quod, se academicorum doctorum scholis interfuisse, testimoniis allatis probent, examinandi sunt ex mea sententia, ut, qui plura didicerint, et, quam ceteri, reipublicae magis profuturi videantur, intelligatur. Denique si plures, quam quot nunc sunt, agricolarum societas conderentur, quorumque inventa utiliter et a paucis instituta essent, in notitiam omnium facilius venire et ad agricolationis artem citius excolendam conferre possent.

Alterius autem generis praesidia exspectanda sunt a privilegiis; ut v. c. qui publico examine explorati fuerint, in publicorum fundorum conductione praerogativam habeant, de bonorum pretio aestimando et de caussis rusticorum controversis sententiam rogari jubentur, ad negotia curanda committantur, soli scholas oeconomicas habendi potestate ornentur. Sed manum de tabula.

---

Superest enim, ut, qua mente ista proluserim, indicetur. Placuit enimvero AUGUSTISSIMO REGI FRIDERICO AUGUSTO et AMICIS EJUS ILLUSTRISSIMIS vacuefactum LEONHARDI morte muuus ordinarii in hac academia oeconomiae et technologiae professoris in me conferre. Ad quod rite suscipiendum orationem habeo, qua *veterum Romanorum leges agrarias hodiernae agriculturae non esse accommodandas ostenderè* constitui. Ad quam audieram, *Vos, Rector Academiae Magnifice Principes Celsissimi, Comites Illustrissimi, utriusque rei publicae Proceres Gravissimi Comilitones Praenobilissimi et Humanissimi, rogo omni, qua per est, observantia, ut frequentes velitis accedere.*

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

(204) JG 162/14/79

Owen Dr. 6

